

nis suae ambitum publicam reddere. Datum ex Consilio in Regnis Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Regio Zagrabiae Die secunda Octobris Anno millesimo septingentesimo septuagesimo sexto celebrato.

Praetorum D. Vestrarum ad officia Paratissimi

Alexander Michael L. B. Malenich m. p.

Joannes Michalkovich m. p.

Orig. in Archivo Regni Croatiae inter Acta Consilii Croatici. A. 1776. N. 29.

CCLIX.

Anno 1777. die 29. Augusti. Viennae.

Rescriptum Regium ddo. 9. Augusti 1777., quo disponitur, ut omnes Causae Civiles Regno Croatiae immediate incorporatae Urbis Fluminis a Foro Judicum Urbis ad Tabulam Banalem via appellationis promoveantur.

Maria Theresia Dei Gratia Romanorum Imperatrix Vidua, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Slavoniaeque Regina Apostolica, Archi-Dux Austriae &c.

Spectabiles ac Magnifici, Honorabiles item et Egregii, Fideles nobis dilecti. Ut Cursus justitiae quantum ad revisionem Causarum Flumine appellatarum iterum restauraretur, ac in moderna etiam rei providentia, seu postquam *Urbs Fluminensis per sui Regno Croatiae immediatam incorporationem*, nexum nostrorum Regnorum haereditariorum hungaricorum ingressa est, certa ratione constituatur, reflexe item ad id, quod in Casibus pro quibus iudices ac Fora determinata non sunt, Judicia constituere ductu etiam Regni Hungariae Legum ad nostram pertinet Majestatem, in ordine ad Causas Civiles ex Foro Judicum Urbis Fluminensis Appellabiles benigne visum est nobis resolvere, ut appellatio omnium ejusmodi Causarum a Foro Judicum Urbis dirigatur ad publicum Urbis Consilium, Cui ad integritatem Judicii praeter Praesidem Gubernatorem, seu Capitaneum vel ejus vices gerentem et vicarium, secretarium item, et Can-